



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorum

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorum, 1607

Ad Illvstrissimos Principes Trigeminos Fratres Radzivilos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013


I H S.


AD ILLVSTRIS-
SIMOS PRINCIPES
TRIGEMINOS FRATRES
RADZIVILOS.

*C*Edite Tyndarida numq̄ simul ambo mi-
Deficiūt nullo sidera nostra die. (cātes;
A septēgeminā lampas noua fulgurat Arcto,
Et Radiuilorum spargit in orbe iubar:
Cui non concessit, velut astris, lumina Titan;
Inclyta sole nitet gens RADIVILA suo.
Alma Trias serua clementi numine gentem,
Sive sit illa domi, sive sit illa foris.

M R A

ILLV-







ILLVSTRISSI-
MIS PRINCI-

PIBVS,

IOANNI GEORGIO,
ADALBERTO WLADISLAO,
CHRISTOPHORO NICOLAO,

RADZIVILIS,

ILLVSTRISSIMI DO-
MINI, Dn. NICOLAI CHRI-
STOPHORI RADZIVILI, DVCIS

Olycæ & Niesuiesij, S. R. I. Principis, Pala-
tini Vlnensis, Comitis in Szydłowic
& Myr. Equitis Hierosolymi-
tani, &c. FILIIS.

MATTHÆVS RADERVS
E SOCIET. IESV, SALVTEM.



EMO vnquam vel in
purpura natus, vel ad
purpurã euectus, Il-
lustrissimi Principes
tam altos. vel, vt rectius dicam,

(a) tam

EPISTOLA

tam superbos gessit spiritus, qui
 non putaret sceptrâ fascesq; sa-
 pientiæ disciplinis inclinandos.
 Phœnicis nutû, alioquin indo-
 mitus obseruauit Pelides, Sta-
 giritæ frontem suspexit Macé-
 do; Athenodori Augustus, Plu-
 tarchi Traianus; Arsenij ferulã
 timuere Arcadius & Honorius,
 Aufonij Gratianus. Pompeius
 etiam à virtute bellica Magnus
 appellatus, victor à Mithridate
 victo, cû victore exercitu Rho-
 dum profectus, non solum lau-
 reatos fasces & secures Posido-
 nij, sapientiæ fama tum floren-
 tis, postibus submisit, sed om-
 nium doctorum exedras lustra-
 uit, singulos docentes attendit,
fin-

AD ILLVSTRISS. PPP.

singulis pro Romana maiestate
talentum impertiuit. Iure igitur
& regia virtus vestra in hoc ge-
nere prædicanda, cum positis
tiaris, ducumq; pōpa & satelli-
tio domi relictis, nostræ quam-
uis humilia Palladis subsellia in-
gredi, nec ingredi tantum, sed
assidere, Rhetores audire, stilū
formare, disputatione congre-
di non dedignatur. Non capiat
vos, Illustrissimi Principes, facti
huius pœnitudo, gratæ memo-
resq; sunt Musæ, quæ cultores
suos pari certè, si nō maiori ho-
nore colunt, quàm coluntur.
Nam

*Dignos laude viros musa vetat mori,
Cælo Musa beat.*

(a) 2 Non

EPISTOLA

Non minori fuit ornamento Aristoteles Alexandro, quam Alexander Aristoteli, ex cuius disciplina orbis terræ Imperator prodiit. Fatentur nostræ Charites Gymnasio nostro, ex Illustrissima vestra præsentia ingentem accessisse gloriam, eamq; in acta mittere perpetuo victura pollicentur. Etenim illustri profatos stirpe multos, plures generoso oriundos stemmate, plurimos nobili satū editos, hæcenus Minerva nostra ad virtutis & eruditionis laudē excoluit & perpoliuit; Illustrissimos Principes, inter auditores suos, vos primos salutat noster Phæbus, qui nō tam vobiscum splendo-

rem

AD ILLUSTRIS. PPP.

rem communicat suum, quam suam à vobis lucem & facē mutuatur, quando non solum amplissimâ illustrissimâq; Radziuilorum domo, genere, familiâ, sed Illustrissimi patris famâ & nomine per omnē orbem propagato, & Romanâ patruī sacraq; purpura, & vestramet ipsorum præstantissimâ probissimâq; indole, placidissimis suauissimisq; moribus, & pietate publicâ priuataq;, non modo phrontisterium nostrum mirificè illustratis, sed ipsam urbem, quamuis augustâ & illustrem, multò tamē redditis augustiorem, & illustriorem. Celebrant enim humanitatē vestram sin-

(a) 3 gula-

EPISTOLA

gularem, modestiã suavi quadã
grauitate temperatam, virtutẽ
& integritatẽ, sacri iuxta ac vr-
bani ciuium ordines. Neq; fanẽ
id mirũ videri cuiquam debet,
à talibus profectos parentibus
ac maioribus, indolem ac virtu-
tem à paterna laude traxisse

Sensere quid mens, rite quid indoles,

Nutrita faustis sub penetralibus,

Possit. —

Nam de Illustrissimo patre ve-
stro quid primum aut postre-
mum dicam?

*Multa viri virtus animo, multusq; re-
Gentis honos —*

(cursat

An de militaribus eius virtutib?
panegyrim instituam? & expe-
ditiones cum fortissimis heroi-
bus, Sigismundo & Stephano,
Re-

AD ILLVSTRISS. PPP.

Regibus sacratissimis susceptas,
fortissimaq; ei⁹ facta persequar,
& accepta in Polocēsi obsidio-
ne grauiſſima quidem, ſed pul-
cherrima frontis honeſtamen-
ta, vulnera, inquam, refricabo?
An ruruſum, in conclamata cor-
poris inualetudine, tolerātiā,
& diuinā pietatem prædica-
bo? cum à desperatis humanis
omnibus auxiliis, Miſiconis ex-
emplo (qui primus in Poloniā
Chriſti legem inuexit) ad opem
diuinā Numinis confugit, con-
conceptumq; Hieroſolymorū
adeundorum votum rite per-
ſoluit, & Græciā, Palestinā, Sy-
riā, Ægypto peragratis.

Per tantos caſus, per tot discrimina rerū,

(a) 4 ægrè

EPISTOLA

ægrè tādē in ditionem suam,
 equeſtribus Hieroſolymitano-
 rum equitum ornamentis inſi-
 gnitus, repedauit, eiufq; pieta-
 tis & peregrinationis æternum
 poſteritati monumentū, ingē-
 ti Reip. Chriſtianæ commodo,
 publicis cōſignatum literis do-
 nauit. O virum ſupra omnem
 antiquitatis memoriam cele-
 brandum. Quis hunc πολύτρη-
 πον patientemq; Vlyſſem, imò
 patientiorem fortioremq; V-
 lyſſe neget?

— ὅς μάλα πλείσα Πλάγχθη
 Πλείσων δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄσρα, καὶ νόον ἔγνω,
 Πλείσα δ' ὄγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὄν κατὰ θυ-
 μόν.

Quid ergo magnopere miran-
 dum

AD ILLUSTRISS. PPP.

dum, si maximus hic heros, maximis orbis terre Dictatoribus, Monarchis, Pontificibus, Cæsaribus, Regibusq; notus ac familiaris extitit, quando in Germania, Galliis, Italia cum iisdem est versatus. Sed quid postliminio tandem domum reuersus, non piè sanctèq; instituit? sacra virginibus claustra, viris religiosis cœnobia, Societati nostræ amplissimum Niesuisij domiciliū Collegiumq; à fundamentis excitauit, aluit, dota- uit. Liberos suos, vos inquam Illustrissimos Principes, tanto dignos parente filios, domi forisq; in disciplinam tradidit, ac penitus in tutelam commisit,

(a) § aliaq;

EPISTOLA

aliaq; virtutis opera & exempla
edidit, editq; hodie, quæ omnis
posteritas miretur poti⁹ quam
imitetur. Porro Mater Euphe-
mia Elisabetha, digna cælo fœ-
mina, grauiſſima, Illuſtriſſima-
quæ Matrona, quæ non poſt vi-
tam, in hominũ mentibus pie-
tatis, clementiæ, benignitatis
monumenta reliquit? Cui non
ſatis fuit ſua, dum viueret, in e-
gentes diſtribuiſſe, niſi mortua
ſeiſſam eiſdem efferendam cõ-
mendaret. Elata eſt ergo, vti in
mandatis vltimis præceperat,
quali pompa? aurum aulamq;
reiecit, proceres palatinos non
adhibuit, populari ſandapila à
centunculatis rogatoribus ge-
ſtata,

AD ILLUSTRISS. PPP.

stata, elata, atq; tumultata est. O
rarā in tam alto honoris sugge-
stu modestiā ac demissionē. Sed
quo humiliter in terram descē-
dit corpus, hoc altius in cœlum
eius conscendit spiritus. Hæc
in patria, inter domesticos pa-
rietes ipsi præsentēs spectastis,
& accepistis ad virtutem inci-
tabula. Nunc quia procul à pa-
triiis finibus, in viridi hoc florē-
tiq; & ardenti æuo, Illustrissimū
parentem etiam in hoc secuti,
abestis; dum in nostri gymna-
sij angustiis & cura literaria ver-
samini, putauimus Illustrissi-
mas Celsitudines Vestras sub-
inde è Xystis atque cathedris,
in patentes & ridentes floribus
cam-

EPISTOLA

campos, amœnosq; opacorum
nemorum saltus, ac hortos sub-
urbanos educendos, atque in
hæc Augustana tempe & Viri-
daria, non Alcinoi vel Hesper-
idum, sed Diuorum ac cœlitum
omni virtutum genere exculta,
deducendos. Quæ Viridaria nõ
videnda tantum & spectanda,
sed colenda etiam & habitanda
vobis offerimus, in quibus, vt
poëta canit

—— ὅποτε καρπὸς ἀπόλλυται ἢ δ' ἐπιλείπει
χείματ', ἢ δὲ θέρευσ' ἐπετήσι'.

Virtutis enim flos canescit, &
defloret nunquam, sed nouos
semper atque æternos operæ &
laborum procreat fructus.

Hoc ergo VIRIDARIUM VO-
bis Illustrissimi Principes con-
ditum,

AD ILLVSTRISS. PPP.

ditum, confitumq; & dedica-
tum est, in quod à literarū me-
ditatione subinde diuerteretis,
animumq; diuinis cogitationi-
bus pasceretis. Non semper à
Regibus Principibusq; amico-
rum paræneses & adhortatio-
nes, quæ ad temperantiam, so-
brietatem, continentiam perti-
nent, æquis auribus admittun-
tur; chartæ inuidiam aut odium
nullum pertimescunt. Sciebat
hoc Demetrius Phalereus, cum
Ptolemæum Ægypti Regem,
ad libros de regno scriptos, dili-
genter legēdos admoneret, vt,
qui monita aliorū non ferret, ex
doctorū ac sapientū monumē-
tis bene viuendi regendiq; præ-
cepta

EPIST. AD ILLUSTR. PPP.

cepta hauriret. Habetis, nec ignoro domestica, vestra Sāctorū violaria, Casimiros, Stanislaos, Cyrillos, Methodios, Hyacinthos, Hedviges & innumeros alios: iuuat tamen etiam in peregrino solo, peregrinos quoq; Diuos venerari; vbiq; precantium vota valent, & patrocinia mortalibus vbicunque prestita, sunt grata & optata. Valete Principes Illustrissimi, & in spē maiorum vti cœpistis, felices viuite, crescite, proficite, & animos virtutibus perficite. Au-

gustæ Vindelicorum, feriis D. Michaëlis aē-

χρστῆν Anno

CIO. IDCIV.

PRÆ-